egisse, et floruisse; Rempub. absque gubernatorum remis tenuisse la-
tum cursum, Militem monitore, Excitatoreque Duce distributum
non dormitare, alte et tunc cristas tollere; Agros saepe nullo
Cultoris subactos vomere frugibus copiae cornu implere, Metalla
quoque et Uniones aliaque ut ita dicam absque sui Visitatricis ma-
nu innumera enutriri lustra; demus iquam hoc omnia, verum
praeterquam quod rarum, alboque rarius corvo sit, et periculo ple-
nissima est alea, ita ut cum alias ingentem, eamque sub securi-
tatis tecto constitutam reperire liceat messem huius tribus pau-
cissimos, eosque omnibus coeli minitantis iniuriis, imbrium ful-
minumque immanitati expositos invenias manipulos.
Quanta igitur Congregationis nrã eminentia! quanta dig-
nitas! Tu periculorum incertitudine ad securitatis pedes coarctas.
Tu fortunae lascivitatem Virtuti subiungas: Tu hostium audaciam,
temeritatem, invidiamque insolubili catena constricta: Tu Mo-
nasteriorum gubernatrix: Tu eorum adiutrix: Tu eorundem
conservatrix: Tu Monachorum gloria, Helvetiae Sol, Ordinis
totius Fax, cui tandem te conferre praesumam? Aequale, aut
par in orbe terrarum invenio nihil, ipsi quod absolutissimae
Coelorum compagi te simillimam iudicamus. Perpetuitate
tua ~~[illegible]~~ soliditatem illius imitaris; ~~perspicuitatem~~ ad
invidiam usque aemularis, claritate illius maior es, rotundi-
tate perfectior, amplitudine ~~[illegible]~~ gloriosior, fulgidissi-
mis, gemmeisque illius orbibus splendidior. Hoc grato equidem ornatu
coeli theatrum distinguunt, tu Universam decoras B.mi P.ris ac
Legislatoris nostri Benedicti familiam; illa luce sua noc-
turnas discutiunt tenebras, tu acutissimis doctrinae tuae radiis
efficacissimis pietatis fulgoribus cymmerias Haeresum discutis cali-
gines; illa numero pauca, tametsi multoties totam Orbis